



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Quaestio III. De desinentia Corporis Christi in Euahcristia sub speciebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

re potest. Quia prius est habere omnia in ordine ad se requisita, & non impedita, quam in illo ordine agere.

DIFFICULTAS III.

Potestne Christus exercere actiones immanentes in Eucharistia.

ASSERO primò. *Actiones immanentes, independentes à Corporeis, v.g. Visionem DEI, potest exercere Christus.*

RATIO. Quia tota illic mutatio, habetur in modo existendi corporis Christi. Ergò modum existendi ipsius spiritualis potentia; non immutat; ergò nec modum operandi, qui sequitur modum existendi.

ASSERO Secundò. *Defacto tales operationes exercet Christus.*

RATIO. Quia nullo impeditur, cum corpus in tales operationes non influat.

ASSERO Tertiò. *Actiones spirituales immanentes dependentes à corporeis, defacto non exercet Christus.*

RATIO. Quia ab ipso usu sensuum, manet impeditum corpus Christi; ergò manet impeditum etiam ab actionibus sensuum.

ASSERO Quartò. *Casu quò elevetur Christus ad sensationes eliciendas, consequenter & operationes immanentes dependentes à sensibus, forent vel possent esse, eadem numero, quas exerceret in statu suo connaturali.*

RATIO. Quia non videtur cur operatio elicit à potentia vitali, circa objectum sibi proportionatum, non possit esse eadem aucto impedimento, & cum impedimento sed hic & nunc superato.

DICES primò. Sensus internus non indiget pati de novo ab objecto extraneo.

RESPONDETUR. Concedo totum. Unde etiam dormientes antiqua phantasiamur. Sed nego quod sensus non indigeat debito existendi modo ipsius potentia.

DICES Secundò. Phantasia habet tunc species suas secum. Ergò illis uti poterit.

RESPONDETUR. Habet suas species, sed caret modo in existendi sibi debito, consequenter & modo operandi.

DICES tertiò. Modus essendi quo caret & corpus Christi, & sensus externus in Eucharistia, est extensio: hæc non requiritur ad operationem in particulari sensus interni, quia extensio requiritur, ut agens contiguetur passo externo, hæc autem contiguitas in presenti non requiritur; quia habet sensus internus, presentes sibi intimè species, sensationique sic productæ, esset etiam connaturale recipi in subiecto inextenso.

Hanc objectionem ponit, & pluribus discutit DiCast.

RESPONDETUR. Consequenter & secundariò requiritur extensio ad contiguitatem agentis & passi; sed primario requiritur tantum passio debita materia; hinc habendo extensionem, sed ita, ac si non haberetur, oblatos secundarios effectus, non poterunt adhuc materialia habere perfectionem in ordine ad se, adeoque nec operari, cum prius sit debetè inexistere, postea operari.

QUÆSTIO III.

De desinentia corporis Christi in Eucharistia sub speciebus.

DUO hic attingi debent. Imprimis an desinente Eucharistia mutetur Christus? Deinde, quid eveniat desinente esse Christo, sub speciebus. Aliqui dicunt nullam tunc mutationem in Christo fieri, sed in solis speciebus. Indicat hoc Alensis, Marfilus, Cajetanus, Ledesma apud Suar. hic disp. 54. Sect. 1. sed negat Vasquez disp. 195. num. 57. id docet à Cajetano. Alii ponunt mutationem localem, quibus adhæserent recentiores apud Suarez, qui dicebant Christum ascendere ex sacramento in cælum, motu continuo, habereque in cælo præsentiam toties repetitam, quoties Eucharistia consumpta est, pro qua sententia citat Vasq. Gvvtimundum & Algerum. Suar. autem & Vasq. dicunt corpus Christi non desinere esse sub speciebus sine aliqua mutatione facta in ipso, id est, ob amissam præsentiam sacramentalem. Sed quia ex dictis in Physicis, nulla præsentia est quid entitavè superadditum, ex altera parte quia communis Doctorum sententia apud citatos fert, quòd non solæ illic species mutantur.

DICENDUM est. *Supposito quòd Christus reproducat in Eucharistia illum quoad esse reproductum mutari, desinente Eucharistia.*

PROBATUR Primò. Quia ex communi sententia, non solæ tunc species mutantur Physicè, sed etiam corpus. Ergò cum hæc mutatio Physica non possit salvari quoad præsentiam localem superadditam, quia per nos illa non datur. Ergò mutari debet, ratione illius quod amittit, reproducti esse.

PROBATUR secundò. Verè mutatur corpus Christi per Suarez & Vasquez quoad præsentiam localem, quam tunc amittit. Ergò etiam verè mutabitur, quoad esse reproductum, quod tunc amittit.

PROBATUR tertiò. Desinente Eucharistia vel

vel verum est dicere, præter præsentiam localem, definit esse corpus Christi prout reproductum; vel non est verum dicere: si est verum dicere; ergo mutatur quoad esse illud reproductum quod ipsum probatur. Si Christus desinere quoad esse suum naturale in celo, mutaretur. Ergo si desinat quoad suum esse reproductum mutabitur quoad esse suum reproductum. Quæ omnia in hoc resolvuntur, quia definitivè mutari, est aliter se habere, aliter autem vel maxime se habet, quod ex esse, transit in non esse. Si autem non est verum quod præter præsentiam localem amittat tunc esse suum reproductum Christus; contra erit. Verè habet esse illud reproductum in Eucharistia Christus ut supponitur: si illud non amittit, quid fit cum illa Substantia Christi prout reproducta, & sicut si mansisset illic substantia panis, debuisset eo casu mutari, & ita mutari deberet substantia- liter reproductum corpus Christi.

Objicit Primò Suarez. Quia præter Sancto- rum omnium, & Theologorum mentem est, di- cere, quod fiat in corpore Christi mutatio ali- qua substantialis, neque id videtur consentane- um dignitati illius Corporis.

RESPONDETUR. Esse præter mentem Theo- logorum dicere, quod fiat in corpore Christi mutatio, accepto secundum suum esse naturale, non autem quod fiat mutatio in corpore Christi prout desinente esse sub Eucharistia, & in præ- senti, nomine hujus mutationis, non aliud ve- nit, nisi quod desinat illic reproductum esse sub- stantiale corporis Christi, & non sola præsentia condistincta entitativè. Dixi non sola præ- sentia condistincta entitativè, indubiè enim de- finit illic, & quidem nemine cogitante, etiam præsentia connotativè explicabilis.

INSTABIS. Ne mutetur corpus Christi, non ponimus in illo recipi entitatem modalem de- terminativam. Ergo nec debet poni alia mu- tatio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia illius prioris ponendæ, nulla necessitas, ponendæ au- tem definitionis corporis prout reproducti, est ex dictis necessitas.

Objicit secundò idem. Angelus existens in loco adæquato, potest relinquere partem ejus, & in alia parte manere, nihil de novo acquirendo, nec deperdendo nisi locum; idemque esset, si posset Angelus esse in pluribus locis distantibus.

RESPONDETUR. Cum Angelus collocans se in tota locabilitatis suæ sphaera, non habeat illic reproductam entitatem, nõ erit necesse, ut præ- ter præsentiam localem (quidquid illa sit) amit- tat quidquam; quia autem Christus in Eucharis- tia habet esse reproductum, necessariò desinere debebit ex dictis.

Objicit tertio idem. Christus, ut existit in hoc Sacramento non pendet à speciebus nisi

quoad præsentiam, non verò quoad substantiæ conservationem.

RESPONDETUR. Pendere Christum à specie- bus quoad esse suum reproductum, & licet nihil illi addatur de novo per consecrationem, suppo- nitur tamen interdiceret nova reproductio sub- stantialis, & hoc reproductum substantiale, tunc definit.

INFERES Immeritò dici à Gvttmundo apud Suar. disp. 46. Sect. 8. quod recedat corpus Chri- sti, si in lutum cadant species, vel si pollutis ma- nibus tractetur, vel comedatur ab animali. RA- TIO Nam tunc si non desinunt accidentia, non desinet corpus Christi. Immeritò item dicit, quod recedat (ut voluit Glossa cap. tribus gra- dibus, de consecratione, distinctione prima & in capite Non iste ibidem. Bonaventura In- nocentius tertius) ubi sumptum fuerit, ante- quam alteretur. RATIO Quia opponitur Trid. Sess. 13. c. 4. Unde etiam si à mure comedatur hostia, dicit Suar. disp. 4. Sect. 2. revera esse Sa- cramenti comestionem, quidquid sit de nomi- ne sacramentalis sumptionis. Immeritò etiam docuit Angelus apud Vasq. disp. 95. n. 5. Non manere Christum sub speciebus in ventre ebrii, ne concedat aliquem speciebus inebriari posse, nam id potest fieri per species, quod fieret, si ad- esset substantia panis.

De reditu materie alteratis speciebus.

Quod attinet ad secundum. Certum est du- rare corpus Christi, quousque non alterentur ita species, ut non sint jam aptæ continere sub- stantiam panis, si fuisset tunc.

RATIO. Quia dicit Christus Hoc est corpus meum; ergo quousque durabit verificativum ipsius Ly Hoc, durabit & corpus. Sed ly Hoc duraret quoadusque species non alterentur, ita ut non sint aptæ continere substantiam panis, er- go durabit & corpus Christi. Quando autem ita alterantur species, ut non essent immediatè post jam aptæ ad continendam substantiam pa- nis, necessariò debet substitui alia materia. Ra- tio Quia accidentia non possunt esse naturaliter sine omni subiecto, vel supplente defectum sub- jecti, in alio genere; ergo cum substantia corpo- ris Christi non exerceat jam hoc officium, suc- cedere debet aut substantia, aut miraculosus concursus; indubiè enim, si talis concursus ex- hiberetur illis conservandis, qualis exhibetur stante Eucharistia, sicut stante Eucharistia ma- nebant accidentia, ita & tunc manerent. Cer- tum item est, non induci tunc substantiam panis. Ratio. Quia ad illam non sunt tunc dispositiones, cum supponantur jam ablata, & ex supposita il- larum sublatione, definit Christus in Eucharis- tia, sed ponitur tunc Materia, ne ita multipli- centur miracula, Forma scilicet (quæcunque

* (V) 2 tan-

tandem illa sit) substantiali adveniente, & non repiciente subiectum primum; parumque refert, quod in aliis alterationibus dispositiones non exigant productionem materiæ, qui illam supponunt, sed si non supponerent exigent per DiCast. d. 7. n. 105. quia exigunt totum id, ad quod ordinatur, ordinantur autem ad illud compositum, quod compositum exigit materiam & formam.

Tota ergo difficultas restat an reproducatur eadem numero materia reproduci eandem numero docuit Alen. Bonav. Suar. Coning, Lugo, Tannerus, DiCast. Non reproduci eandem S. Thomas voluit.

*Pensandæ sunt rationes utriusque
partis?*

I. RATIO Sancti Thomæ est hic ex q. 77. Art. 5. quia si substantia panis & vini conversâ est in corpus & sanguinem, non potest substantia panis aut vini redire, nisi corpus aut sanguis Christi, iterum convertatur in substantiam panis & vini, quod est impossibile, sicut si aer sit conversus in ignem, non potest aer redire, nisi iterum ignis convertatur in aerem.

RESPONDETUR. Quod licet non possit redire substantia panis & vini via conversionis, nisi casu quo poneretur corpus & sanguis Christi converti in substantiam panis & vini, sed nego implicare alium modum reditus illius materiæ, qui sit per creationem, sicut ex igne iterato aer non tantum fieri potest conversione, sed etiam generatione.

INSTAT S. Thomas. Casu quo substantia panis & vini sit annihilata, non potest iterum redire, quia quod in nihilum decedit, non redit idem numero.

RESPONDETUR. Viribus naturæ non redit, sed cur redire non potest, per virtutem recreativam illius materiæ.

II. RATIO S. Thomæ est. Quia non datur quomodo substantia panis redeat, non enim manentibus speciebus panis & vini, quia his manentibus maneret corpus & Sanguis Christi; non eis cessantibus, quia jam substantia panis & vini esset sine propriis accidentibus, quod est impossibile.

RESPONDETUR. Positio quæ hic intenditur, non hoc vult, quod redeat substantia panis adæquata, adeoque forma panis, sed quod redeat eadem materia, quæ redire potest non existentibus dispositionibus debitis panis.

III RATIO est. Quia non potest dici, quod materia panis & vini de novo tunc creetur, quia non rationabiliter videtur dici, quod miraculosè aliquid accidat in hoc Sacramento, nisi ex ipsâ deducatur consecratione, ex qua non deducitur, quod materia recreetur vel redeat, melius ergo dicitur quod in ipsâ consecratione

miraculosè, deus quantitati dimensionis panis & vini; quod sit primum subiectum subsequendum formatum.

RESPONDETUR. Stante quidem Eucharistia, nihil ponendum miraculosè accidere, nisi ex ipsâ consecratione deducatur, quia sicut entia ita nec miracula multiplicanda sine necessitate. Sed præcavendum etiam est, ne miracula multiplicentur jam desinente Eucharistia, concedaturque aliquid impossibile & quidem si dicatur quod ex quantitate, & succedanea forma, fiat, unum compositum substantiale, id implicat. Quia compositum substantiale, definitivè est totum per se ex partibus substantialibus constans: quantitas autem non est quid substantiale; si autem hoc sensu dicatur ex quantitate & forma substantiali, componi totum substantiale; quia recipit in se quantitas alterationes; id verum est, sed quærere restat desinente corpore Christi & succedente alia forma, vel succedit etiam materia, vel non, si succedit cur non eadem: habebiturque jam intentum. Si non succedit, multiplicantur miracula, nam illi formæ potest succedere alia forma, & tamen omnes illæ erunt sine materia, quod essent nimia multiplicatio, & non necessaria miraculorum.

In oppositum.

I. ARGUMENTUM Lugonis est d. n. 39. Accidentia per suam individuationem exigunt tale subiectum determinatum, & non aliud. Ergo hæc numero quantitas, & alia plura accidentia, quæ fuerunt in materia panis, & adhuc perseverant illudmet numero subiectum & non aliud exigunt.

RESPONDETUR. Non apparet, quid vellet sibi hæc propositio; accidentia per suam individuationem exigunt tale subiectum, cum non individuentur à subiecto.

II. ARGUMENTUM. Licet hæc albedo indifferens sit ex se, ad hoc vel illud subiectum, postulat tamen ex sua natura postquam est in hoc subiecto, non transire ad aliud.

RESPONDETUR. Postulat quidem conjunctum accedens huic subiecto, ut non transeat in aliud, sed si non sit conjunctum, quid illi refert, quod hæc non alia, numero restituantur materia.

III. ARGUMENTUM est ex DiCast. disp. 10. num. 110. Ex uno capite, utrumque Deo æque facile est, magis autem naturæ rerum consentaneum, minorque sit mutatio in rebus, si non creetur nova materia, nam reproducendo antiquam tantum contingit ipsa reiterata creatio, & nova introductio quantitatis, in materiam antiquam: in creando autem novam materiam, imprimis crearetur nova materia, desinere deinde esse quantitas antiqua, ne transeat ad

novum & non proprium subjectum quæ omnia non sequuntur, si redeat antiqua materia.

RESPONDETUR. Id censendum naturæ rerum magis consentaneum, quod aliàs in Naturis contingit; apparet enim quod illud sibi determinet natura, tanquam bonum universi: & tamen nunquam redit forma antiqua, sed semper nova inducitur. Ergo idem dicendum de materia, & quidem quod est nova creatio materiæ novæ, hoc est etiam nova creatio antiquæ materiæ, tam enim antiqua extrahitur ex nihilo subjecti, ac nova, quæ ergo ex parte materiæ nova major mutatio, negatur item quod debeat tunc antiqua quantitas corrumpi cur enim.

Quod non possit transire de subjecto in subjectum quantitas, id est ex supposita unione cum subjecto, quæ unio, sicut & ipsa quantitas, nulli agenti materiali est contraria, itaque nec ab illo auferibilis: alia autem accidentia transferri non possunt, quia in illa non agitur nisi mediis alterationibus, alterationes autem non respiciunt motum translative, sed inducunt novæ formæ generationem corruptionem prioris. Sed rationes hæc non ostendunt, quod si non supponatur illorum accidentium unio, æquæ illa uniri non possint huic ac alteri subjecto. Hinc

ASSERO Primò. *Quod attinet ad lineam sustentari, æquale est accidentibus Eucharisticis: sive antiqua reproducatur sive nova producatur materia.*

RATIO. Quia quantitas & alia accidentia, non discernunt materiam, & æquæ hæc est materia ac illa, ergo & æquæ sustentativa. Ergo quoad lineam sustentare, æqualiter se habebit materia sive reproducta sive nova.

ASSERO Secundò. *Attendendo ad nexum passionis cum natura cuius est passio, connaturalius est ut reproducatur antiqua materia.*

RATIO. Quia hæc numero passio quantitatis, est hujus numero subjecti, utpotè ab illo emanata, & cum passionibus ordinentur in bonum ejus quo emanantur, ut ostendit inductio, hinc & quantitas ita & ordinabitur, & ex hoc ordine deprecet subjectum.

ASSERO Tertiò. *Etiam reliqua accidentia titulo educationis postulant antiquam materiam.*

RATIO. Quia etiam formæ educatæ postulant esse hujus. Unde dictum aliàs, quod Angelis penetrantibus se, species unius Angeli, non deseruit alteri Angeli, quia non est ex illo educata.

Tractari hic deberet de effectu Eucharistiæ, quæ est Gratia, sed hic sufficienter inferretur ex dictis de Sacramentis in communi, & dicentis in materia morali. Tractari item posset, an vi Eucharistiæ intercedat intersumentem & carnem Christi unio aliqua sed nihil addendum occurrit iis, quæ pro affirmativa posuit Valq. hic disp. 20. & cum illo DiCast. disp. 8. n. 64.

TRACTATUS III. DE MATERIIS MORALIBUS.

Inseri hic debuisset Tractatus Moralis, de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Ordine, Extrema unctione; sed quia commodius videbatur, ut tota Materia practica, uni operi includatur, hinc methodi tantum causa, titulus prefixus est. Interim

Cum Christo in Eucharistia definente, nostra etiam definat Theologia.

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b. M.

* (U) 3

INDEX